



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1657

§. 218. Tunc incipient dicere montibus cadite super nos, & collibus operite
nos. v. 30.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45549

§. 218. Tunc incipient dicere montibus: cadite super nos, & collibus operite nos, v. 30.

In die illa iræ, calamitatis & miseræ, quando mittet Dominus exercituum principes militiæ belli, venientes de terra procul & aliena, super civitates & terram Iudæ. 2. quando à summitate cœli Dominus vasa furoris emittet, ut disperdat omnem terram, tunc dissolventur omnes manus & omne cor hominis tabefiet & conteretur, arefcentibus hominibus præ timore, & quasi parturiens, dolentibus; & unoquoque ad proximum suum stupente, cum erunt facies combustæ, vultus eorum, & dicent, ecce dies Domini venit crudelis & indignationis plenus, & ira furorisque ad ponendam terram & vrbes in solitudinem, & peccatores eius conterendos, de ea. Quis poterit exspectare diem illum in quo omnis, qui inventus fuerit occidetur, & omnis qui supervenerit cadit in gladio; infantes nostri allidentur coram oculis nostris diripientur domus nostra, facile tunc extorquebitur vox illa & votum montes cadite super nos, & collis operite nos, melius enim erat subitanea, quam tam lenta, & calamitosa petire morte, & tectum montibus non videre mala, quam inspiciendo gravari. Lege lib. 2. Iosephi de bello Iudaico.

VÆ miseris nobis, quando dies iudicij advenit! dies iræ, dies furoris Domini, iudicis universorum, cum omnia patebunt, ad cuius nutum omnes creaturæ insurgent contra insensatos & peccatores, quando fractis sigillis libri conscientiarum operientur, & cuiusque legetur peccatum in specie & in genere, quando & mea publicabuntur coram toto universo pro iustitia facienda & subeunda sive in bonum sive in malum! quid sum miser tunc dicturus, quem patronum rogaturus; cum vix iustus sit securus? utique nisi scirem misericordias Domini, quas in æternum cantare desidero, jam tum desperandum foret; sed ibo in tempore ad Patrem meum, Patrem misericordiarum, & totius consolationis: & dicam: Pater peccavi in cœlum & coram te, non sum dignus vocari filius tuus, præ multitudine iniquitatum mearum. fac me sicut virum ex mercenariis tuis ut vivam & non æternum peream. Amen.

§. 219. Quia, si in viridi hac faciunt, in arido quid fiet? v. 31.

Per lignum viride Christum intellige qui fuit quasi lignum juxta aquarum decursus plantatum, fructum salutarem proferens nobis redemptio-
dis tempore opportuno: qui tamen si innocentissime vixit, sine tormentis tamen grandibus & multiplicibus non occubuit. iam contemplare que illos manebunt tormenta, qui in die novissimo coram Deo stabunt tanquam infrugiferi palmites aut arbores fructibus vacuæ? Hanc contemplationem nobis voluit inculcare Christus sua passione, quam quia nos rudes & stupidi non eramus ex nobis adhibitori, ideo ipse applicans ait: si ego
vixit